

rallio tornatus similis est. κρόκαλον & λεροάλλω Grammatici interpretantur calculum, lapidem albicantem, arenam litoralem. Sunt autem ij calculi fermè rotundi, cerasi quadam specie si color adesset.

E. Ebenus arboris peregrinæ nomen, Græcis & Latinis vſitatum, Hebraicæ originis est, à nomine eben, quod lapidem significat. lapidem autem ebeni lignum suo pondere refert.

Sed aliud est Ebenum fossile, quod Agricola Germanicè Erdstöcklein interpretatur, (quasi dicas stipitem vel truncum paruum subterraneum,) & inter res fossiles leues cum Gagate, Pumice & Tofis numerat. Et sub finem libri septimi de nat. fossiliū: Hildesheimi, inquit, intra terram aluminosam, ad (iuxta) lignū in lapidē mutatum, & in eius cōmissuris, reperitur Ebenū fossile: quod etiā sparsum in aliorū lapidū cauernis, tanquā in aluo, latere Theophrastus non ignorauit,